

sapius ingestum repudiavit: neque in acta sua iurari, quanquam censente fenatu, permisit. cuncta^a mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictans. non tamen ideo faceret fidem^c ciuili animi. nam legem maiestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant, si^b quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique malè gesta Rep. maiestatem populi Romani minuisse: facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus^d cognitionem de^e famosis^f libellis, specie legis eius tractauit, commotus Cassii Seueri libidine, qua viros feminaeque inlustres, procacibus scriptis^g diffamauerat: mox Tyberius, consultantem Pompeio Macro pratore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. Hunc quoque^h asperuere carmina incertis autoribus vulgata in seuitiâ superbiâque eius, & discordem cum matre animû. Haud pigebit referre in Falanio & Rubrio, modicis equitibus Rom. pratetata crimina, ut quibus iniitiis, ⁱ quanta Tyberii arte^k grauissimû exitû irrepserit, dein repressum sit, postremò arserit, cunctaq; corripuerit, noscatur. Falanio obiciebat accusator quòd inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modû collegiorû habebatur, Cassiû quendam mimimum corpore infamem^h adsciuisse: quodque venditis hortis, ⁱ statuatam Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini dabatur violatum periuriò^k nomen Augusti. Quæ vbi Tyberio notuere, scripsit consuli-

1. eius qui in ordinem cum ceteris cogi potest, sed principis.

2. Esi sub Augusto nondum hominibus verba sua periculo iam molesta iussit, ait Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 47.

3. Sic lib. 15. Annal. Quintilianus molli corpore infamia, & a Nerone, pro bono carmine diffamatus conuictus vltimum ibat.

4. Sub Tiberio Caesare, inquit, Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 26. fuit aculeandi frequens, & perne publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius cogitauerat commisit.

OBSERVATIONES.

a Singuli mortales, in his principes, aurea hæc Tiberij verba memoria mandent, cuncta mortalium incerta, quantoque quis plus adeptus est, tanto magis in lubrico esse.

b Capita precipua qua lege maiestatis continebantur, hæc erant; si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus concitasset; denique malè gesta rep. maiestatem pop. Romani minuisse, ut securi feriretur. Vide tit. Ad. l. Iuliam Maiestatis.

c In criminibus etiam atrocissimis facta preponderant dictis.

d Cognitio de famosis libellis ducta est ab lege maiestatis.

e Libelli famosi vocantur procacia scripta, quibus homines potissimum illustres, diffamantur.

f Principem & validum quemque non parum asperant carmina incertis authoribus vulgata in seuitiam, superbiâ, ac cetera ipsius vitia. ceterum si princeps diffamari non vult, ita se gerat, de qua palam de eo dicuntur, eadem secretis in locis, vbi cuiusque animus verè nudatur, vere & sentiri, & dici possint.

g Hi sunt gradus eorum, quæ à paruis ducta iniitiis postea magnos exitus habent; nempe, ut primum, tanquam noua irrepant; mox fortè reprimantur; deinde, quia iam induci posse satis constat, remouentur; postremò ardeant, cunctaq; corripant. hæc arte videntur ij, qui noua, & inaudita in remp. inducunt.

h Mimos & corpore infames in collegia sacrorum adscisci minimè æquum est.

i De rebus sacris nulla stipulatio fieri potest.

k Cum diuini honoris principi deferrentur, non est mirum, si iuriurando adhibebatur nomè ipsius, tanquam numinis alicuius.